



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XIV. De archiepiscopis, patriarchis, primatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



que alias fundationes acceptare. Omnia bona per diœcesin olim ejus potestati fuere subjecta, de quibus præter Deum nemini rationem reddere tenebatur. Nam si in horum dispensatione suspectus esset, animæ ipsi, sine dubio pretiosiores, committi quomodo potuissent<sup>1</sup>? Hodie Episcopus non nisi ea administrat, quæ mensæ destinata sunt. Sed hæc omnia latius persequemur *Part. II. c. 24.*

1) *Constit. Apost. 24. 25.*



C A P. XIV.

DE ARCHIEPISCOPIS, PATRIARCHIS,  
P R I M A T I B U S.

I.

**U**T Episcopus tot functionibus vacare possit, Episcopi  
aut exigui tractus diœcesi, aut magno ministrorum numero, qui ipsum sublevent, opus est. Prius antiquis, posterius nostris placuit temporibus.

II. SAECULO IV. in Provinciis cultioribus, veluti in Oriente, Ægypto, Asia, Græcia, Italia, infinita fuit Episcoporum multitudo, quod subscriptiones conciliorum & patrum Epistolæ testatum faciunt. In Africa sola, hoc est, in ora maris interioris a Tripoli usque ad fretum Gaditanum an. 411. numeratæ fuere sedes Episcopales DLXX. quod ex conventu Carthaginensi clarum. Papæ quidem per Italiam novos quosdam Episcopa-

olim fere  
innumeris  
in terris  
cultioribus.



tus etiam recens condiderunt; sed & nonnullos veteres suppresserunt. Ex notitia imperii, ad calcem codicis Theodosiani adjecta, patet, per Græciam haud pauciores fuisse. Soli patriarchæ Constantinopolitano subiecti fuere LXXX. Metropolitanæ & XXXIX. Archiepiscopi, quorum nonnulli ultra XXX. suffraganeos habuere. Græci enim has dignitates distinguunt, & Archiepiscopos post Metropolitanos locant. Concilium Sardic. c. 6. id solum prohibet, ne Episcopi vicis aut urbibus tam parvis præficerentur, quas vel unus presbyter regere possit.

rariores,  
sed am-  
pliores in  
incultis,

III. IN Gallia & Hispania rariores fuere Episcopi ob civitatum raritatem; quarum etiam si in Scythia sæculo V. major numerus, uno tamen omnes ab episcopo regerentur<sup>1</sup>. Quum Christiana religio in Germaniam penetraret, quod ea urbibus destituta esset, pauci fuere Episcopatus constituti, nec postea, licet cultu cresceret, aucti, etiam per septentrionem. Unde nati sunt *vastæ magnitudinis episcopatus* in Germania & in Polonia, in quibus quum Episcopi non gregem solum, sed ne presbyteros quidem omnes nosse ac regere possent, opus fuit multis *archipresbyteris, archidiaconis, vicariis generalibus*, nec non *religiosorum* auxilio; concilia autem haberi vix potuere. Præterea tanta fuit horum episcopatum potentia, tantaque in republica dignitas, ut cura rerum spiritualium sæpissime postponeretur negotiis politicis. Sapiëntius veteres, qui in Episcopatibus instituendis rationem



habuere imbecillitatis humanæ, eosque ita arctarunt, ut Episcopus *per se* vacare posset omnibus officiis. Si enim satis esset, nullo multitudinis & distantiae locorum respectu habito, per alios hæc exsequi; non nisi uno Episcopo universa Ecclesia indigeret, nec ipse Christus pluribus Apostolis opus habuisset.

1) SOCRATES *hist. l. 8. c. 19.*

IV. NEQUE tamen in primitiva Ecclesia *magni Episcopatus* defuere, quia tum amplissimæ erant civitates. Semper enim constitutum fuit, non nisi unum in qualibet civitate esse debere Episcopum, ad Ecclesiæ unitatem figurandam<sup>1</sup>. Sic Romanus, Alexandrinus, Antiochenus Episcopi maximos cætus rexere; sed eorum diœceses vix ultra pomeria civitatum protendebantur, quod indicant veteres Episcopatus ad *portas urbis Romanæ* instituti. Et quoniam Apostoli eorumque discipuli in majoribus civitatibus habitarunt, ex quibus ad minores emiserunt Episcopos & presbyteros; hæc tenuiores Ecclesiæ majores illas in magnis civitatibus, quæ jam tum in geographia politica *metropoles* vocabantur, collectas, veluti *matres* venerabantur<sup>2</sup>. Hinc metropolitano competit, omnes provinciæ Episcopos ordinare, monere, ad instar patris & doctoris corrigere, ad concilium convocare. In designandis provinciis adoptata est divisio imperii Romani, quod eo tempore latissime patuit, quo plantata est Ecclesia; nec facile divisiones illæ, licet per incursiones barbarorum respublica mutata sit, turbata fuere.

1) *Conc. Nicæn. c. 8.*

2) *Dist. 21. c. 1.*

F 3



Qui Me-  
tropolita-  
ni?

Archie-  
piscopi?

Patriar-  
chæ?

V. METROPOLES Romana, Ale-  
xandrina & Antiochena semper eminuerunt in  
reliquis, quod Ecclesias illas collegisset ac plan-  
tasset Apostolorum princeps <sup>1</sup>. Earum Epi-  
scopi vocati sunt *Archiepiscopi*, postremo *Pa-  
triarcha*: & licet Alexandrinus multa præci-  
pua habuerit, Romanus tamen semper pro ve-  
ro Petri successore, & sic *jure divino* pro prin-  
cipe Episcoporum & visibili capite Ecclesiæ ha-  
bitus est. Archiepiscopi titulus datus est postea  
omnibus in occidente metropolitanis; quam-  
quam Græci diversos gradus fecerint Archie-  
piscoporum & metropolitanorum. Patriarchæ  
nomen quibusdam Episcopis præter ceteros  
eminentibus, veluti jam inde a sæculo IV.  
Hierosolymitano ob sanctitatem urbis, & Con-  
stantinopolitano ob sedem imperialem; post  
etiam nonnullis aliis, quorum potestas eo aucta  
non fuit, datum est.

1) *Dist. 22. c. 8.*

Exarchi?

primates?

VI. METROPOLITANI, qui habi-  
tarunt in magnis civitatibus, ex quibus inte-  
græ provinciæ regebantur, quas diœceses vo-  
carunt, *Exarchi* sunt appellati. Quod enim  
hodie *diœcesin* appellamus, scilicet suum cujus-  
que Episcopi territorium, id olim *παροικια*  
*parœcia*, fuit appellatum, quasi *vicinia*. In  
aliis provinciis *primates* audiebant isti prima-  
riarum urbium metropolitanis; quamquam per  
Numidiam non princeps, sed *senior* Episcopo-  
rum, *primas* adpellaretur. Regna ex ruinis  
Romani imperii nata ansam dedere pluribus  
*primatibus* instituendis, qui tamen præter ti-



tulum nihil habent præcipui, excepto *Lugdunensi* Archiepiscopo, quem Archiepiscopi Turonensis, Senonensis & Parisiensis, quippe olim Senonensis suffraganeus, superiorem agnoscunt, adpellationesque ad eum permittunt. Qui per omnem Christianum orbem solus jura *primatis* revera exercet.

Primas hodie solus Lugdunensis in Gallia Archiepiscopus.

VII. HIC igitur est regiminis Ecclesiastici ordo. Fideles omnes reguntur ab Episcopis, qui presbyteros ac reliquos clericos in ministerio adjuutores habent, & ratione ordinis ac sacerdotii inter se sunt æquales<sup>1</sup>; excepto uno, qui jure divino ceteris præfectus est ad unitatem Ecclesiæ conservandam, ejusque caput visibile exhibendum<sup>2</sup>, Romano scilicet pontifice, successore illius, quem Christus ceteris præfecerat, Apostoli. Et ille vero solo Episcopi nomine contentus ceteros Episcopos *fratres* adpellat. Ceteræ distinctiones omnes sunt *juris humani*, pertinentque ad *politiam Ecclesiasticam*: unde tam difformes sunt. Nam pro temporum & locorum diversitate plures vel pauciores metropoles & unicuique subjectas Ecclesias deprehenderis. Sunt Archiepiscopi, qui Patriarchis vel Primatibus parent; sunt, qui sedi Apostolicæ. Sunt & Episcopi a Papa sine medio dependentes.

1) *Dist. 21. c. 3.* 2) *Dist. 22. c. 1.*


VIII. ARCHIEPISCOPI ornamentum habent singulare, *pallium* scilicet, quod cetero ornatui superimponunt. Usus ejus in Ecclesia Græca antiquior fuit & frequentior.

Archiepiscoporum insignie pallium.



Nam in Ecclesiam Latinam sæculo demum VI. irrepsit, quod Papæ quibusdam Episcopis, veluti singularis gratiæ tesseram, contulerunt<sup>1</sup>. Sed inde ab aliquot sæculis omnibus Archiepiscopis commune redditum est, *dist. 100.* semper tamen Roma petendum; nec ante ejus impetrationem quisquam Archiepiscopali munere fungi potest.

1) THOMASS. *discipl. part. 2. l. 1. c. 24. 25. 26.*



C A P. XV.

DE EPISCOPATIBUS VEL ERI-  
GENDIS VEL SUPPRIMENDIS,  
ITEMQUE DE EPISCOPIS NO-  
MINE TALIBUS ET DE  
COADJUTORIBUS.

I.

Ecclesie  
plantata  
a vicinis  
Episco-  
pis.

**I**NTER populos recens ad Christianam fidem conversos Episcopi fuere sine metropolitanis, donec Christianorum numerus ita augetur, ut pluribus Episcopatibus institutis, formari posset provincia quædam Ecclesiastica<sup>1</sup>. Principio viciniore Episcopi sponte munus illud fidem propagandi sibi sumserunt: quibus celsantibus, superiores id curarunt, & inde a sæculo IX. & X. Pontificis auctoritas præcipue accessit. Unde Anglia, Germania & regna septentrionalia, in quibus isto ævo plantata est Ecclesia, peculiari nexu obstricta erant, ante novissimas hæreses, Episcopo Romano<sup>2</sup>.